



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

VII. Explicatur, quomodo fides resoluatur vltimò in reuelationem Dei
sistendo in ipsa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

consequens hic modus assentiendi super omnia debet referuari in iis, quæ Deo creduntur. Cum ergo bonitas illa illationis nõ credatur Deo, nec deferuiat ad credendum Deo, quia in conclusione illa nihil Deo creditur, non potest prudenter voluntas imperare assensum illum super omnia. Si autem voluntas imprudens sit, non erit supernaturalis, nec assensus subsequens erit supernaturalis, atque ideo non erit aptus ad hoc, ut sequatur ex ipso dilectio supernaturalis Dei. Denique quomodocumque imperetur assensus ille conclusionis, non erit supernaturalis, quia neque est assensus fidei nec deferuit ad generandum assensum fidei, & Deus noluit concurrere ad actus supernaturales intellectuales, nisi ad actus fidei, vel ad eos, qui prærequiruntur ad fidem, ut suppono ex materia de gratia; voluit enim fidem solam esse principium totius meriti in ordine ad salutem æternam.

113
Cur non possimus credere super omnia ex terminis ipsi Deum esse omnipotentem cum possimus credere cum esse veracem.

Hinc autem obiter infero, cur possimus credere super omnia ex terminis ipsis veracitatem Dei, seu Deum esse summè veracem, & non possimus credere super omnia ex terminis, Deum esse omnipotentem, vel æternum, &c. cum non minus constet ex terminis vnum, quàm aliud. Dico enim, physice loquendo, vtrumque credi posse super omnia ex terminis, accedente imperio voluntatis imperantis talem assensum super omnia: voluntas tamen non potest licitè imperare assensum ex terminis super omnia circa alia attributa, sed solum circa veracitatem, & auctoritatem Dei, quia hic modus assentiendi super omnia referuari debet, ut diximus, ad credendum Deo propter supremam eius auctoritatem, sicut dilectio super omnia referuatur Deo propter infinitam eius bonitatem: quare sicut non possumus licitè amare super omnia aliquid præter Deum, ita non possumus licitè credere nobis, aut alteri aliquid super omnia, nisi soli Deo. Quia verò non possumus credere Deo super omnia id, quod dicit, nisi credamus etiam super omnia ipsum esse summè veracem, cum non possit magis credi conclusio, quàm motuum formale, cui innititur, hinc est, esse eandem obligationem credendi super omnia veracitatem Dei, ut possimus pariter credere quod Deus dicit. Omnipotentia autem, æternitas, & alia attributa nõ sunt ratio formalis credendi Deo, ideo neque est obligatio ea obiecta credendi super omnia, nisi ut reuelata à Deo, neque etiam id licitum erit, quia tunc non crederemus Deo, nec ille assensus ordinaretur ad credendum Deo, cui non credimus, quia æternus est formaliter, sed solum quia est summa veritas in cognoscendo, & in dicendo.

SECTIO VII.

*Explicatur, quomodo fides resoluatur
ultimo in reuelationem Dei
sistendo in ipsa.*

114
Diximus, duplicem esse rationem formalem partialem, cui ultimo fides innititur, scilicet, Deus est prima veritas, & Deus ita dixit. Vidimus etiam, qualiter ille prior assensus sit immediatus, & independens à reuelatione. Nunc restat videre, an secundus assensus sit etiam immediatus, vel propter aliud mediū. Videtur enim

Assensus ille
Deus ita dixit,
an sit
immediatus?

esse immediatus, cū non constet ex terminis, Deum reuelasse incarnationem. Si autem immediatus est, videtur resolui in testimonium humanum, cū non possit reduci ad aliud testimonium diuinum sine processu in infinitum. Hic nodus nunc, qui maximus est, dissoluendus nobis restat.

Pro solutione suppono, reuelationem esse aliquo modo rationem formalem siue proximam, siue etiam ultimam; neque enim intelligo quod aliqui dicunt, scilicet, primam veritatem esse totam rationem formalem, reuelationem verò, non esse rationem formalem, sed solam applicationem, quatenus per illam applicatur diuina auctoritas huic articulo. Hoc (inquam) non intelligo, quia ego non minus assentior mysterio Trinitatis, quia Deus reuelat, quàm quia Deus est prima veritas, nec minus me mouet vnum, quàm aliud, sed vtrumque se habet per modum duplicis præmissæ formalis, vel virtualis ad credendam Trinitatem; quare non video, quomodo assignetur sufficiens discrimin inter vnam præmissam, & aliam, ut vna sit ratio formalis, alia verò solum sit conditio: nisi velis frustra reddere difficilem (sicut saepe fieri solet) & intelligibilem doctrinam Theologicam. Quod si aliquando S. Thomas docet, primam veritatem esse obiectum formale totale fidei, intelligendum est secundum quod ipse docet *in 1^a quæst. 5. art. 3. in corp.* Obiectum formale esse primam veritatem prout continetur in doctrina Ecclesie: hoc est, prout adiunctam cum reuelatione actuali.

Dices, quando eligo medicinam ad salutem, verè eligo illam, quia utilis est: & tamen ipsa utilitas non est obiectum formale, nec etiam partiale electionis, sed tota ratio formalis est bonitas finis, ergo licet credam Trinitatem, etiam quia Deus reuelat, adhuc reuelatio potest non esse ratio formalis credendi. Respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est, quod utilitas mediæ, licet aliquo modo sit ratio formalis immediata, & proxima; non est tamen ultima: nam ipsamet utilitas amatur etiam non propter se (alioquin esset finis) sed propter bonitatem finis; ideo non est obiectum formale simpliciter; at verò reuelationem credimus non quidem quia Deus est prima veritas; nam licet Deus non esset prima veritas posset loqui, & asserere aliqua obiecta; credimus ergo dari reuelationem ipsam independentem ab eo quod credamus Deum esse infinitam veritatem; ergo prima veritas non est adaquata ratio formalis fidei, sed aliquid addendum est. Restat tamen difficultas, an reuelationem credamus propter aliud, an solum immediate in se ipsa.

Ut igitur hæc difficultas, quæ maxima est in hac materia, dissoluatur, dicere possumus, assensum illum, quo credimus Deum hoc reuelasse, esse immediatum, & ex apprehensione terminorum, sicut solent esse assensus primorum principiorum: non tamen esse assensum euidentem, sed obscurum, licet certum, & supernaturalem, elicentemque ab habitu fidei, tanquam primum etiam principium eiusdem fidei. Habet enim habitus fidei virtutem elicendi assensum non solum circa mysteria reuelata, quæ se habent sicut conclusiones, sed etiam circa principia ipsa, & sicut *scilicet*. 6. diximus elicere assensum circa veritatem Dei, quæ est vnum principium fidei, quod mouetur ad credenda mysteria, sic etiam potest elicere

elicere assensum circa revelationem ipsam, quæ est aliud principium ipsius fidei. Nam licet, loquendo de habitibus acquisitis, diversus sit habitus principiorum, & habitus conclusionis, vt communiter circumfertur: habitus tamen fidei, qui est infusus, & datur ad modum potentie, idem extenditur ad assensum principij, & ad assensum conclusionis. Quare habitus fidei elicit tres assensus distinctos realiter, vel virtualiter omnino diversos. Primus est assensus immediatus aliquando evidens, quo iudicat Deum esse primam veritatem, de quo dixi *precedenti sect.* 4. Secundus est assensus etiam immediatus semper obscurus, sed certus, quo iudicat Deum revelasse Trinitatem, v. g. de quo assensu nunc agimus. Tertius denique est, quo iudicat Deum esse Trinum, qui est obscurus, & mediatissimus, nempe innitens aliis duobus: & hic tertius appellatur potissimum actus fidei, licet etiam secundus sit actus credendi, & ad quem potissimum indigemus pia affectione, nam si semel credimus, Deum revelasse hoc, vel illud mysterium, facile erit credere ipsum mysterium.

Hunc modum dicendi suadet mihi tum difficultas aliarum sententiarum, quam iam vidimus, & earum Auctores farentur recurrentes ad mysteria, vt eas nobis persuadeant: tum præsertim exempli fidei humane, quam in omnibus, quoad fieri possit, imitari debet fides divina, ablati imperfectionibus. Quando ergo fide humana aliquid credimus propter auctoritatem Petri, qui id affirmat, & testatur: non minus dicimur niti auctoritate, & testimonio Petri, ac resolvere fidem nostram in Petri testimonium, quam in testimonium Dei, quando credimus fide divina; quamvis enim firmior sit assensus fidei divine, quam humane; hoc tamen provenit ex maiori auctoritate Dei, cui nitimur, quam hominis: ceterum quo ad modum sistendi in auctoritate dicentis, eodem modo se habet intellectus in vtraque fide, vt constat experientia: nec aliud à nobis exigit Scriptura & Patres, nisi vt credamus propter testimonium Dei, sicut solemus credere propter hominis testimonium, addita solum maiori firmitate assensus, provt exigit maior auctoritas loquentis. Sic enim arguit Apostolus Ioannes ad exigendam fidem nostram epist. 1. cap. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.* & ipse Christus Ioan. 8. arguit similiter ex fide, quæ adhibetur duobus testibus, vt adhiberetur etiam fides Patri, & sibi testificantibus. *Et in lege vestra* (inquit) *scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Vnde si res fidei nostræ credamus propter testimonium Dei firmissime, eodem modo, quo credimus fide humana propter testimonium Petri, addita maiori illa firmitate, nemo potest negare, quod fides nostræ resolvatur sufficienter in auctoritatem, & testimonium Dei: nec enim inquam à nobis exigitur, quod magis resolvatur fides nostra in testimonium Dei, quam fides humana in testimonium hominis, cui credimus, neque ad id asserendum est vllum probabilitatis vestigium, cum verum sit in toto rigore, & proprietate, quod per fidem humanam credimus Petro, & ducimur eius auctoritate, ac testimonio, sicut verum est dicere hoc ipsum de fide divina respectu testimonij diuini.

Videndum ergo est, quomodo se habeat fides

humana in ordine ad testimonium hominis credendum, an, scilicet, resolvamus illud in aliud motuum, an verò sistamus in illo. Quando v. g. credo Petro testati Paulum obiisse, an tunc assensus, quo iudico, Petrum id testari, sit immediatus, an mediatissimus propter aliquod aliud motuum. Et quidem negari non potest, plerumque esse assensum immediatum, & sæpe evidentem, aliquando obscurum, & inevidentem. Quando enim audio eius vocem clarè, quam aliunde optime agnosco, videtur esse assensus evidens evidentiæ physica, quo iudico, Petrum loqui: aliquando verò est minus clarus, vt si audiam vocem Petri distantis, vel videam scripturam ipsius; possum enim in vtroque casu formidare, an verè sit vox, vel scriptura Petri: video tamen tantam proportionem, & similitudinem cum voce, & scriptura Petri, vt licet non habeam claritatem, & evidentiæ, probabilissimè tamen possum assentire, quod hæc sit vox, vel scriptura Petri. Similiter ergo vox Dei loquentis posset aliquando clarè, & euidenter audiri, & tunc assensus ille esset immediatus, & evidens de loquutione Dei. Plerumque tamen non ita clarè auditur, sed obscurè, præsertim quando Deus loquitur per nuncios, vel ministros; & tunc quidem, licet obscurè, & inevidenter, possumus tamen immediatè credere, illam esse vocem, seu nuncium, aut scripturam Dei: nam sicut quando Deus loquitur, & revelat immediatè alicui aliquid obiectum, potest id facere per revelationem inevidenter cognitam, de qua possit homo dubitare, vel formidare, an sit vox Dei, vel illiusdæmonis: potest tamè inevidenter credere, quod sit revelatio Dei, sic potest id contingere in voce, & revelatione mediata: potest enim homo formidare, an hoc sit nuncium Dei, an hic Propheta missus sit à Deo, & an Deus loquatur per ipsum: potest etiam homo inevidenter iudicare, hanc esse vocem Dei loquentis mediate per illum nuncium: qui assensus esse potest immediatus, & in ipso potest fundari fides mysterij revelati; quod magis constabit & explicabitur soluendo difficultates, quæ contra hunc dicendi modum fieri possunt.

Igitur adversus hanc doctrinam primo obijci potest, quia si ille assensus sit immediatè ex apprehensione terminorum, ergo est evidens, & clarus, ergo assensus etiam mysterij revelati erit evidens, cum inferatur ex duobus principiis evidentibus. Respondeo negando primam consequentiam; quia licet ille assensus sit immediatus, & ex terminis, non est tamen evidens: quod non est neque unum, aut singulare in assensu fidei; intellectus enim lumine naturæ assentitur pluribus principiis ex apprehensione terminorum, non quidem evidentem, sed solum probabiliter, vt probavi in lib. posteriorum. Alioquin nullæ essent conclusiones probabiles, nisi darentur prima principia probabilia, ex quibus inferrentur. Dices, conclusionem probabilem posse inferri ex principiis evidentibus, esse tamen probabilem, quia ipsa consequentia, seu bonitas illationis non constat evidentem. Sed contra, ergo iam saltem concedis posse præcedere assensum solum probabilem circa ipsam bonitatem illationis. De hoc ergo assensu prævio inquiri, an sit mediatissimus, vel immediatus? Si immediatus, ergo iam concedis aliquem assensum immediatum probabilem, qui fiat immediatè, ex apprehensione terminorum, quod contendimus. Si verò ille assensus sit mediatissimus, re-

Fidei humana quomodo se habeat in ordine ad testimonium hominis credendum.

119
Obiectio 1.

Assensus fidei an sit evidens

dit idem argumentum, an sit probabilis, quia infertur ex principiis probabilibus, an quia infertur per illationem, quæ solum cognoscatur probabiliter? & rursus de hac secunda cognitione inquiram, an sit probabilis immediata? & sic in infinitum, donec veniamus ad aliquam primam propositionem immediatam, cui intellectus probabiliter assentiatur.

120

Ratione enim à priori probatur, quia assensus immediatus est, qui generatur ex apprehensione connexionis inter extrema illius propositionis sine alio medio: potest autem contingere, quod apprehensio non ostendat clarè illam connexionem, sed cum formidine, & per consequens sufficiat ad generandum assensum cum formidine, licet immediatum. Immo Aristoteles definiens opinionem, non egit de mediata, sed de immediata; quæ est primus fons, & radix totius probabilitatis. Sic enim dixit in *Poster. c. 26. Opinionem esse acceptionem immediate propositionis non necessariam*. Et idem docet primo *Rhetoricorum*, ad Theodilem cap. 2. & ad Alexandrum cap. 7. & 15. nemo ergo negare potest, dari aliqua prima principia, quæ ex terminis cognoscuntur non euidenter, sed opinabiliter, vel obscurè, vt notauit etiam Iacobus Granado in 1. 2. in materia de actibus humanis tract. 1. 2. disp. 4. n. 1. & 2.

121

Obiectio 2.

Assensus fidei
an sit certus?

Sed contra hanc solutionem obiici potest Secundò, ergo ille assensus, quo fides credit ex ipsis terminis Deum reuelasse; non est certus, sed solum probabilis; alioquin si esset certus, esset euidenter, cum sit ex terminis manifestus. Respondendo, negando consequentiam; bene enim stat, illum assensum esse certum, & tamen esse obscurum. Quod in omni sententia admittendum est: nam omnes concedere tenentur intellectum ad assentiendum certò rebus fidei indigere aliqua motione prauia ex parte voluntatis imperantis illum assensum, vt infra videbimus: seclusa autem hac motione voluntatis, licet appareant motiua omnia, quæ dantur ad credendam reuelationem Dei; intellectus tamen sibi relictus solum posset elicere assensum probabilem, quo iudicaret Deum illud reuelasse; posset item iudicare euidenter, illa motiua esse tantū ponderis, vt licet euidenter non ostendant, factam esse reuelationem, sufficiant tamen, vt voluntas prudentissimè possit imperare, assensum illum reuelationis obscurum, qui alias eliceretur cum formidine, elici sine formidine, & cū adhæsiōe firma ex parte intellectus, neque enim nouum est, quod intellectus firmitus adhæreat alicui obiecto ex determinationis voluntatis, quod infra latius explicandum est; nunc autem satis est supponere, quoad hoc difficultatem esse communem, & cui omnes respondere debent, assensum illum, quando aliàs à solo intellectu fieret alius actus probabilis, elici certum ex imperio voluntatis prudenter prohibentis formidinem. Hoc ergo supposito, addimus ex propria sententia, motiua illa, quæ præcedunt actum fidei sufficere ex se, vt intellectus ex illorum apprehensione eliceret assensum immediatum, quo probabiliter assentiretur huic principio: *Deus reuelauit Incarnationem*: sufficiunt item, vt intellectus iudicaret reflexè ex apprehensione eorum, licet non appareat euidenter reuelatio, apparere tamen euidenter credibilitatem reuelationis, id est, voluntatem posse prudentissimè imperare, quod ille assensus immediatus fiat sine vlla formidine.

Quo supposito, voluntas per piam affectionem prohibet formidinem illius assensus; & tandem, adiuuante habitu fidei, elicitur ille assensus immediatus, quo ex apprehensione extremorum credimus sine euidētia, & sine formidine Deum reuelasse Incarnationem.

Adhuc tamen restat difficultas, & sit tertia obiectio; quomodo possit ille assensus esse immediatus: quia nullo modo constet ex terminis, Deum reuelare Incarnationem; sed hoc debet cognosci per aliud; nempe, quia Ecclesia id proponit, quia miracula confirmant, martyres testantur, &c. ergo non est assensus immediatus, sed mediatus.

Pro solutione aduerte, reuelationem Deialiam esse immediatam, quia Deus immediatè aliquid reuelat, aliam esse mediata, seu notiam, quæ ad nos venit ex reuelatione immediata aliis facta. Priore reuelationem videntur exigere in singulis ad assensum fidei hæretici nostri teporis, dum dicunt, regulam fidei esse instinctum, & spiritum internum vniuscuiusque. Posteriorem nemo Catholicus negat; necessarium enim omnino est nobis ad credendum fide Christiana, quod mysterium nobis proponatur tanquam à Deo alicui immediatè reuelatum; & licet Deus non loquatur nobis immediatè, loquitur tamen aliquo modo per os illorum, qui mysteria sibi reuelata proponunt, nam *multifariam, multisque modis Deus loquitur*, vt dixit Paulus. Nec nouum est appellare loquutionem Dei hanc loquutionem mediata; sic enim appellatur sæpius in Scriptura, Psal. 44. hac de causa dixit David, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribens*. Luc. 1. *Sicut loquutus est per os Sanctorum*. Act. 1. *Sicut prædixit Spiritus Sanctus per os David*, &c. Hinc omnes fideles dicuntur audire Deum. Ioann. 6. *Omnes, qui audiunt à Patre, & didicerunt, venit ad me*; & prius dixerat: *erunt omnes docibiles Dei*, ideo etiam vocantur oues, Ioan. 10. *Oues meæ, vocem meam audiunt*, quod si audiunt Deum, ergo Deus illis loquitur, non enim possumus audire nisi nobis loquentem. Loquitur autem, sicut expedit Deum loqui cum hominibus percipientibus obiecta per sensus materiales: nimirum taliter proponendo mysteria, talia miracula operando, vt non solum auribus, sed visu etiam percipiamus vocem Dei loquentis nobiscum. Ideo enim Paulus ad Hebr. 2. miracula dixit esse quantam Dei loquutionem: *Contestante*, inquit, *Deo signis & portentis*: vbi Theodoretus ait, *Deum per miracula ferre prædicationis testimonium*. Sunt ergo miracula ipsa aliquo modo vox Dei, vnde Augustinus epist. 49. *quæst. 6. absolute dixit, Deus mirabilibus operibus loquitur*. Siue hanc velis appellare vocem, siue melius literas, vel nuntius, quibus nobis suos conceptus exprimit, quare sicut quando lego epistolam amici, immediatè ex visione Scripturæ, quam cognosco, iudicio amicorum meum loqui, & licet aliquando formidorem, an esset Scriptura eius; adhuc possem probabiliter id iudicare per assensum immediatè ortum ex apprehensione illorum characterum, quæ probabiliter ostendit esse characteres mei amici: sic etiam considerans miracula, & signa, quibus Deus mihi loquitur, licet non videam clarè esse literas, vel vocem Dei, apparet tamen id obscurè, sed immediatè, & cum tanta proportionē, vt prudenter imperet voluntas cum assensum immediatum elici absque vlla formidine.

Dices,

123 Dices, illum assensum esse mediātē, quia prae-
supponit hunc discursum: *Omnis testificatio ta-
liter facta est loquutio Dei: hac est testificatio
talitatis; ergo hac est loquutio Dei.* Respondeo ne-
gando antecedens: sicut enim quando audio Pe-
trum: non discuro: *omnis vox talis est vox Dei,
hac est talis, ergo; sed comparo immediatē vo-
cem, quam audio, cum idēā vocis Petri, quam
habeo: & dico: hac est sicut illa, seu hac est vox
Petri sicut illa; sic etiam in praesenti, quando vi-
deo proponi mihi mysterium Incarnationis vt
revelatum à Deo; & proponi cum tanta copia
miraculorum, martyrum, doctorum, cum tanta
concordia saeculorum, conformitate cum ratio-
ne, &c. comparo istam propositionem cum idēā,
quam habeo de loquutione mediata Dei, & licet
non euidenter, iudico tamen ex terminis, *talitatis
modus proponendi, est omnino modus dignus Deo,*
quod iudicium potest esse immediatum, vt dixi,
sicut quando video albedinem, iudico immediatē
esse albedinem comparando illud obiectum
cum specie, & idēā, quam habeo de albedine;
itaque licet non omnes possimus credere propter
revelationē Dei nobis immediatē factam: omnes
tamen possumus credere propter revelationem
mediatam: hoc est, quia nobis hac doctrina ex
parte Dei proponitur, seu quia est nuncium Dei,
vel doctrina diuina: & quidem non minorem
habet infallibilitatem hoc motuum, quam reuelatio
immediata Dei; non enim est minus im-
possibile, quod sit falsum id, quod verē nobis
dicitur ex parte Dei, seu tanquam nuncium Dei,
vel doctrina diuina: quam quod sit falsum id,
quod verē, & immediatē nobis reuelatur à Deo;
quare non erit minus infallibilis fides nostra ex
parte motui, si credat incarnationem, quia est
doctrina Dei, seu quia nobis proponitur ex parte
Dei, quam si crederet; quia Deus immediatē
revelat.*

124 Hoc ergo supposito, ad obiectionem respon-
deo, non constare quidem ex terminis clare, &
euidenter incarnationem; constare tamen ob-
scure; quia inter Ecclesiae propositionem tot mi-
raculis confirmatam, testificatam à martyribus,
acceptatam à doctis, & probis, &c. ex vna parte,
& inter loquutionem mediatam Dei ex alia, quae
sunt duo extrema illius propositionis, licet non
appareat euidenter, apparet tamen obscure tanta
connexio, vt ex ipsa connexione extremorum
possit intellectus immediatē assentiri & acceden-
te imperio voluntatis, possit etiam sine formi-
dine dicere: *hac est doctrina Dei, seu hoc pro-
ponitur ex parte Dei.* Itaque non assentitur in-
tellectus, discurrendo, & inferendo vnum ex
alio, & dicendo, *hac est Dei reuelatio, quia Ec-
clesia auctoritate humana proponit, quia miracu-
la confirmant, &c.* Sed considerat ex vna parte
totam illam Ecclesiae propositionem, martyrum
testimonium, miracula, &c. tanquam vnum ex-
tremum illius assensus, & ex alia parte doctrinam
Dei, & comparat inter se sine vilo discursu hac
duo extrema, inter quae inuenit tantam con-
nexionem, vt ex ipsa apprehensione, & coope-
ratione extremorum sine alio discursu possit eli-
cere assensum immediatum, quo dicat: *hac est
doctrina Dei, seu, hoc proponitur mihi ex parte
Dei.*

125 Dices iterum, licet Deus loquatur mihi ali-
quo modo per os Ecclesiae, per miracula, &c.
ego tamen non audio Ecclesiam immediatē, nec

video miracula, aut martyria, &c. Sed hac omnia
audio à parentibus, vel lego in libris; ergo si hac
omnia sunt loquutio mediata Dei, ego non au-
dio immediatē eam loquutionem: ergo ego non
possum immediatē iudicare; quod Deus mihi
mediatē loquitur, sed ad summum credam, Deum
mihi mediate loqui, quia id audio à parentibus,
vel inuenio in libris, &c. Respondeo, sicut mira-
cula, & martyria, &c. fuerunt aliquo modo vo-
ces, & nuntii Dei, quibus loquebatur videntibus
illa signa, & martyria, &c. Sic mihi parentes,
magistri, libri, & tota hac notitia de illis om-
nibus, quae ad me immediatē peruenit, est ali-
quo modo os Dei, per quod mihi mediatē, & ali-
quo modo loqui dignatus est; itaque quando
per libros, & praedicatores, &c. proponitur mihi
sufficienter doctrina fidei; perinde est ac si Deus
mecum ageret, & eam mihi loqueretur: habet
enim, vt praedixi, Deus multiplex os, & multi-
fariam loquitur: huic hoc modo, & huic alio
modo: vtique autem potest sine discursu ex ap-
prehensione illius modi, quo sibi proponuntur
mysteria fidei, iudicare illam esse Dei doctrinam;
seu illa sibi proponi ex parte Dei, qui eam ali-
quando reuelauit.

126 Vregebis adhuc, quia hic modus contem-
plandi Deum nobis loqui, & proponere hac mysteria
per os eorum, qui nos docent; videtur valde me-
taphysicus, & alienus à rusticis, & pueris, qui
simpliciter credunt mysteria, quando docentur
à parentibus, vel parochis; nec tamen curant iu-
dicare Deum sibi loqui, dum ea mysteria sibi
proponuntur. Respondeo, si ad rusticos, & pue-
ros attendamus, sapienter etiam censebimus eos
non credere propter reuelationem; & auctori-
tatem Dei, parochus enim solum dicit eis, Ver-
bum incarnatum, Christum mortuum esse, &c.
non dicit Deum hoc reuelasse, ergo ipsi non
credunt propter reuelationem Dei illud myste-
rium, sed propter auctoritatem parochi, vel pa-
rentis; & per consequens non faciunt actus fidei.
Sed re vera, licet aliquando ita contingat huius-
modi personas elicere actus merè fidei humanae
regulariter tamen eliciunt actus fidei diuinæ;
quia licet non concipiant explicate reuelatio-
nem Dei formalissime, concipiunt tamen con-
fused doctrinam illam quasi diuinam, & agno-
scunt in ea aliquid supra humanum, & intelli-
gant ita doceri per fidem, concipientes nomine
fidei aliquid numinis, & diuinitatis; quod suffi-
cit, vt confused intelligant illam doctrinam non
esse sicut alias, quae oriuntur solum ab homini-
bus; quamuis non audierint, explicate eam do-
ctrinam esse reuelatam à Deo, & credendam pro-
pter Dei reuelationem. Sic etiam dicere possumus
huiusmodi personas, regulariter loquendo;
quando audiunt proponi sibi ea mysteria, licet
non intelligant explicate, Deum sibi loqui, con-
cipere tamen confused, eam doctrinam proponi
sibi aliqua auctoritate plusquam humana, & pa-
rochum non loqui in propria solum persona;
quod à posteriori colligitur, quia si parochus pro-
ponenti Incarnationem rusticus dissentiret, ne-
gando id esse à Deo reuelatum, conciperet planè,
se non solum peccare contra auctoritatem, & fi-
dem humanam parochi, sicut si dissentiret illi in
aliis rebus humanis; sed etiam contra altam au-
toritatem superiorem, & ideo formidat rusticus
negare esse doctrinam diuinam, quae à paro-
cho traditur, quia mirum existimat, verba pa-
rochi

Martyria &
miracula sūt
voces, & nū-
tius Dei.

Deus habet
multiplex os,
& multi-
fariam loqui-
tur.

Rustici au-
tem crea-
dunt prop-
ter auctori-
tatem
Dei reuelan-
tis.

quest. 2. art. 9. ad 3. agens de fidei motiuo, incluit etiam miracula dicens: *Ille, qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum: inducit enim auctoritate diuina doctrina miraculis confirmata, &c. Vnde non leuiter credit, cum habeat sufficiens inductiuum ad credendum.* In eodem etiam sensu Michael Medina lib. 5. de re in Deum fide cap. 11. §. ergo in fidei. dicit, eos qui audiebant Apostolos, debuisse credere, quia miraculis testabantur, eam doctrinam esse veram. Ratio autem est. Nam licet non inirent hac omnia tanquam motiua humana, nec suadent auctoritate hominum; intrant tamen quatenus ex ipsis componitur, & constat reuelatio mediata Dei, seu hoc quod est proponi nobis ex parte Dei illud mysterium sicut apparatus, & comitatus, quo legatus Regius venit ad Pontificem, ostendit illum esse legatum regium; & quidem quando loquitur, ego iudico eum loqui ex parte sui Regis, non quidem propter auctoritatem famulorum, qui ipsum comitantur sistendo in ipsis, sed quia ex terminis mihi constat, orationem cum tanto apparatu, & talibus circumstantiis factam, esse orationem legati regij, & non priuati hominis. Sic etiam ex terminis non quidem euidenter, sed obscure apparet, doctrinam, quæ mihi cum tantis miraculis, & cum tanto apparatu proponitur, proponi quidem non auctoritate priuata, sed diuina: itaque non credo hoc propter testimonium hominum proponentium, sed quia est legatio diuina, quam componunt etiam partialiter in ratione legationis ipsa miracula, & reliquis apparatus famulorum, & circumstantiarum, quæ integrant hanc propositionem, qua mihi proponitur mysterium credendum. Quam sententiam omnium clarissime videtur tradidisse S. Thomas in 3. dist. 23. quest. 2. art. 2. quest. 2. ad 3. cum enim opposuisset, quod actus fidei non sit credere Deo sed potius credere homini, hoc est nuncio Dei: respondet nos credere non homini ut homini sed quatenus in eo Deus loquitur, seu Deo in homine loquenti & in hoc etiam sensu videntur intelligendi auctores illi, qui assensum fidei resoluunt partialiter saltem in auctoritatem ecclesiæ, prout ecclesiæ gubernatur à Spiritu sancto, quo modo loquitur Bañes in pref. quest. 1. art. 1. dub. 4. Medina, Aiala, Durand. Gabr. & Almainus, quos affert Suarez in presenti disp. 3. sect. 1. o. n. 9. quæ doctrina vera esse potest in sensu explicato quatenus scilicet auctoritas Ecclesiæ non consideratur præcisè ut humana sed ut componens, & integrans organum mediatum proportionatum per quod in his circumstantiis intelligitur Spiritus sanctus proponere mediate mysteria credenda.

SECTIO VIII.

Soluuntur alie obiectiones contra eandem sententiam.

132 **H**anc sententiam hoc modo explicatam, quam anno 1617. primò tradidi, impugnauerunt postea aliqui, & primus P. Hurtadus in manuscriptis, his potissimum argumentis, quibus oportet primò breuiter satisfacere. Primò, quia hoc ut detur accedere ad errorem hæreticorum nostri temporis, qui resoluunt fidem christia-

nam in reuelationes priuatas singulis factas, Respondeo, nihil nos habere commune cum illis: nos enim non exigimus ad credendum, reuelationem immediatam internam, vel spiritum priuatum, internum, sed solum, quod doctrina credenda proponatur nobis ex parte Dei, quod quidem nullus Catholicus potest non exigere: resoluimus ergo fidem non in reuelationem priuatam singulis factam interius, sed in hoc, quod mysterium illud proponatur nobis ex parte Dei, quæ potest aliquo modo appellari reuelatio mediata, & loquutio Dei, ut explicauimus.

Secundò obicit, quia si Deus loquitur fidelibus medio parochio proponente res fidei, ergo Deus afflitit Parochio, ne possit fallere, sicut afflitit Prophetis, per quos Deus loquebatur: ergo parochus habet infallibilem auctoritatem in proponendo. Respondeo cum P. Suarez in presenti disp. quinta sect. prima, num. 4. parochum non habere infallibilem auctoritatem permanentem, vel habitualiter, habere tamen illam actualement, quoties proponit cum sufficientibus motiuis credibilitatis; ad Dei enim prouidentiam spectat ne ille in iis, quæ tali modo proponit, decipiat auditores, differt tamen valde à Prophetis, quia ij præcendendo ab aliis circumstantiis peculiariter à Deo tanquam organum assumebantur, per quod loquebatur: Parochus autem secundum se non tenetur Deus assistere peculiariter, sed solum prout in iis circumstantiis, hoc est, in iis, quæ proponit cum talibus, & talibus motiuis credibilitatis, vel quando vere prouenit ex parte Dei.

Tertiò obicit, ego credo propter testimonium Dei, sed verba parochi non sunt testimonium Dei: ergo non intrant vllò modo ad componendum motiuum formale fidei. Respondeo, distinguendo maiorem, ego credo propter testimonium immediatum Dei secundum se solum, nego; propter testimonium Dei mihi propositum concedo: tunc autem distinguo minorem: verba parochi non sunt testimonium Dei secundum se, concedo: non componunt hoc quod est testimonium Dei mihi propositum, nego: denique ad consequentiam dico, me non credere propter verba parochi ut parochi sistendo in eius auctoritate, sed propter testimonium Dei mihi propositum cum talibus circumstantiis, &c.

Quartò obicit, illa actio, qua Parochus proponit mysteria credenda, potest esse peccatum, ergo non fit peculiariter à Deo, ergo non loquitur Deus per illam mediatè, nec immediatè. Respondeo, Nuncium, seu Legatum Regis posse ex malo animo exequi iussa Regis, & loqui, quæ accepit à Rege; & tamen illud vere proponit ex parte Regis. Sic Parochus potest ex malo animo proponere, quæ accepit ab Ecclesiâ; quia Deus relinquit illum indifferentem ad proponendum, vel non proponendum, & ad proponendum ex malo, vel bono animo; & licet illa actio non fiat peculiariter à Deo; tamen verè proponit ex parte Dei, quia proponit, quæ vere accepit proponenda à Deo; vel ab Ecclesiâ: loquutio ergo mediata non debet esse à Deo peculiariter secundum omnes sui partes. Exemplum habes clarum in Sacerdote consecrante ex malo animo, cuius loquutio est mala, & tamen loquitur nomine Christi, & ex parte Christi, cuius personam representat. Facilius poterit parochus proponere ex parte Dei mysteria credenda, quamuis ea proponat

Hac doctrina non exigit spiritum priuatum internum, qui est error hæreticorum.

133 Obiectio 1.

Parochus proponens res fidei, quatenus habet infallibilem auctoritatem.

134 Obiectio 2.

135 Obiectio 3.